

byteri, nisi in caso mortis ex mandato Episcopi post informationem de statu poenitentis periclitantis, quoad corpus & animam; ita ut aliquando poenitentes etiam in morte Communione eucharistica privarentur, si Episcopus absens consuli non posset. Vide cap. Presbyter caus. 26. q. 6. & c. Si jubet ibid. Can. 4. Conc. Carthag. 2. Hæc ultima reconciliatio fiebat feria 3. majoris hebdomadz, saltim in Ecclesia Romana, & in omnibus ferme Ecclesiis Occidentalibus. Episcopus poenitentibus occurrebat ad ostium templi, ubi præmissis certis precibus & imposita manu eos reconciliabat. Reconciliati vero depositis sordidatis vestibus, barba, & crinibus, mundius ornati procedebant.

SECTIO V.

Utrum hæc ultima & solennis reconciliatio post peractam poenitentiam esset reconciliatio cum Deo per absolutionem sacramentalem; an solum reconciliatio cum Ecclesia per admissionem ad Eucharistiam & aliorum Sacramentorum participationem?

Dico. Probabilis est, hanc ultimam reconciliationem non fuisse reconciliationem cum Deo per absolutionem sacramentalem, quam supponebat; sed tantum reconciliacionem cum Ecclesia quoad oblationem & participationem Eucharisticam. Prob. 1. Sozomenus l. 7. c. 16. loquens de Poenitentiario, ejusque officio dicit: Ad quem accedentes ii, qui deliquerant, actus suos confitebantur: ille vero pro cuiusque delicto, quid aut facere singulos, aut hæc oporteret, paræ loco indicens, absoluebat confiscentes, a se ipsis penas criminum exacturos. En aperit absolutio sacramentalis data ante satisfactionem, quæ injuncta fuerat, adimpletam. Deinde, postquam descripsit ritum in poenitentia solenni servari solitum, significat absolutionem finalem, quæ peracta poenitentia conferebatur, esse tantum reconciliacionem cum Ecclesia, & relaxationem a penis Canonibus. Ubi verb, inquit, præstitus dies advenit, tamquam debito quodam persoluto, a pena commissi sceleris liberatur, & reliquo Ecclesie populo sociatur.

Respondet Tournely, Sozomenum hæc in parte hallucinatum fuisse. At quo fundamento id asserit? Nullum profert, nisi quod dicit hanc historicum errasse, cum supposuit in Ecclesia Romana institutum fuisse ab initio Poenitentiarium, sicut in Ecclesia Constantinopolitana. Verum esto (quod non certo constat) Sozomenum natione Græcum errasse circa id, quod fiebat Romæ, ob locorum distantiam; non sequitur, quod erraverit circa id, quod a paucis annis factum fuerat in sua Ecclesia Constantinopolitana, cui præsens aderat, & cuius facti, quod referebat, testes oculatos consulere adhuc poterat; & a quibus, si quid falsum scripsisset, mendacii argui potuisset; scripsit enim 30. vel, ut pler, 40. annis post factum Nectarii.

Prob. 2. Can. 72. Concilii Eliberitani ann. 305, sic legitur: Si qua vidua fuerit uxchata, eundem postea habuerit maritum, post quinquentium tempus, acta legitima poenitentia, placuit eam Communionem reconciliari: si alium duxerit relicto illo, nec in fine damnam esse Communionem. Vel, si fuerit ille fidelis, quem accepit, Communionem non accipiat, nisi post decem annos acta legitima poenitentia, nisi infirmitas eogerit velocius dare Communionem; atqui reconciliatio per Communionem in hoc Canone non est cum Deo per sacramentalem absolutionem, sed cum Ecclesia per Eucharisticam participationem, seu jus ad illam: ergo. Prob. Min. 1. Vidæ poenitentem post quinquentium concedit Concilium, quod denegat in fine vite illi, quæ, relicto priore viro, alium duxerat; atqui Communionem, in fine vite deneganda, non erat absolutio sacramentalis, quippe quæ nunquam ulli fine vite ab Ecclesia denegata est, nec Communionem Eucharisticam: ergo. Prob. 2. Prima Min. Eodem modo intelligendum est in hoc Canone de Communionem reconciliari, & de Communionem non accipiat; atqui per de Communionem non accipiat non intelligitur absolutio sacramentalis, sed Eucharistica, ut patet ex can. 3. & 78. in quibus Concilium hanc Communionem vocat Dominicam: & can. 47. de adultero relapso dicit: placuit ulterius illum non edere de Communionem patris: ergo. Confer Digress. Hist. post Dis. 8. Sect. 1. Obj. 3.

Omitto Canonem 78. Concilii Carthag. 4. Canonem 3. Concilii Arus. 1. Canonem 28. Concilii Arelat. 2. quibus probatur periclitantibus concessam fuisse Eucharistiam, consequenter prævisæ absolutionem sacramentalem; qui tamen si superviverent, debebant adhuc solenniiter reconciliari; quia adversarii fatentur, ita fieri extraordinariæ & in periculo mortis; sed non lege communi & ordinaria.

Prob. 3. Absolutio, seu reconciliatio sacramentalis cum Deo poterat concedi a simplicibus Sacerdotibus sine speciali mandato Episcopi; ultima reconciliatio non poterat concedi nisi ab Episcopo, aut a Presbyteris de ejus speciali mandato: ergo hæc

non erat sacramentalis. Item nunquam licet Diacono reconciliare sacramentaliter; licuit autem Diacono ex dispensatione Episcopi hanc ultimam reconciliacionem facere: ergo idem, quod ante Min. patet ex S. Cypriano Ep. 13. in qua mandat, ut, deficientibus Presbyteris in periculo mortis, Diaconi manus poenitentibus imposita in poenitentiam, hoc est, loco poenitentia condentur, ipsos reconcilient. Vide locum integrum Dissert. 8. art. 1. Object. 3. Item ex Conc. Eliberit. can. 32. Vide Digress. hist. proximè citatam.

Prob. 4. Ex Can. 22. Concilii Ancyran. anno. 314. robbant poenitentiam solennem, qui coram Deo non erant culpabiles, scilicet qui casu & involuntarie homicidium perpetraverant, eo ferè modo quo nunc justè concurrunt ad mortem alicujus, a susceptione Ordinum & eorum ministerio per irregularitatem arcentur: hi autem, epleta poenitentia, non sects, ac illi poenitentes reconciliabantur, quia per solam solennem reconciliacionem ab Episcopo factam terminabantur poenitentia solenni; atqui hæc reconciliatio non erat cum Deo per absolutionem a peccatis, quod nullum erat, sed cum Ecclesia, in cujus conspectu fiebat ista poenitentia: ergo.

Prob. 5. Poenitentia solennis protrahatur aliquando ad decem, ad viginti annos, aliquando usque ad finem vite; atqui prorsus incredibile est, absolutionem sacramentalem, quæ est remedium a Deo institutum ad remissionem peccatorum, tamdiu differri iis, qui tam duram poenitentiam agebant, & qui ipsa tantæ poenitentia susceptione se verè poenitentes probabant: ergo.

Confirm. Ad poenitentiam solennem non admitterentur, nisi qui verè & sincerè erant poenitentes. Ita refert Can. 11. Concilii I. Nicæni ann. 325. Quicumque ergo, germanè & verè poenitentia ducuntur, tres annos inter Auditores exigent ut fideles, & septem annis prosternerentur supplices, duobus autem annis absque oblatione erunt orationum cum populo participes. Unde Isaac Lingonensis in suis Canonibus c. 16. Poenitentes, inquit, qui ex gravioribus commissis poenitentiam gerunt, si ex corde poenitent, sicut Nicæna Synodus de lapsis constituit, tribus annis sint inter Auditores, &c. Vel ergo isti verè & sincerè poenitentes perfecta contritione erant justificati, vel attritione ad absolutionem sacramentalem sufficienter dispositi. Si primum, ut quid minister negasset, aut distulisset absolutionem, quam concessisset Dominus? Si secundum, & idè absolutio sacramentalis esset necessaria ad eorum justificationem, utpotè medium ad id a Deo institutum; crudelitas & barbaries fuisset a mente benignæ Matris Ecclesie prorsus aliena, nec ulla utilitate compensanda, denegare, vel tamdiu differre quoad depositum hoc medium, sine quo manet Dei inimicus, diaboli tyrannidi subjectus, atque frustratus merito ac satisfactione certa tot laborum, jejuniorum, orationum, & humiliorum: ergo.

Obj. 1. cum Honor. Tournely, S. Leo Ep. 91. ad Theodorum Foro-Julianensem Episcopum Ed. Par. 1661. dicit: Medicator Dei & hominum, homo Jesus Christus, hanc præpositis Ecclesie tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem poenitentia darent, & eisdem salubri satisfactione purgatos ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliacionis admitterent. S. Leonem vero loqui de reconciliacione per absolutionem a peccatis, constat; quia in eadem Ep. jubet, ut, qui ante acceptam reconciliacionem moritur, non possit habere mortuus, quod non accepit vivus, id est, non fruatur Communionem ecclesiasticam, nec consequenter preces & sacrificia pro ipso publice offerantur; & hujus disciplinæ rationem subjungit: Nec, inquit, necesse est nos eorum, qui sic obierint, merita actusque discutere, cum Dominus Deus noster, cuius judicia nequeunt comprehendere, quod sacerdotale ministerium implere non potuit; justitiæ suæ reservaverit; ita potestatem suam timere volens, ut hic error omnibus prosit, & quod quibusdam tepidis ac negligentibus accidit, nemo non metuar. Multum enim utile, ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali supplicatione solvantur: ergo.

R. S. Leonem ibi non agere de poenitentia solenni, sed de necessitate poenitentia ut sic, & absolutionis sacramentalis, quam tepidis & negligentibus tempore opportuno non requirunt, & sine qua, casu interveniente, moriuntur. Patet ex his terminis, tepidis & negligentibus; & ex toto Epistolæ contextu. Nec refert, quod dicit: Si aliquis eorum, pro quibus Domino supplicamus: Officiis enim Sacerdotis est supplicare, non solum pro publicè poenitentibus, sed pro omnibus peccatoribus. Non etiam obstat, quod dicit: Salubri satisfactione purgatos; per satisfactionem enim ibi non intelligit poenitentiam solennem, de qua non agit, sed quacumque poenitentiam veram & sinceram, qualis est cordis contritio, oris confessio, aliqua poenitentia interioris indicia, quæ quamdam satisfactionem includunt. Sic ipse obijciens ibidem explicat similia loca SS. Patrum contra eos, qui voluerunt nunc necessarium esse præ-

mittendam satisfactionem absolutioni. Idquæ aperit liquet ex textu Epistolæ S. Leonis; dicit enim, poenitentibus in morte poenitentiam, & reconciliacionem, nec satisfactionem interdicendam esse, nec reconciliacionem esse denegandam. Ubi certum est, quod per satisfactionem non intelligat opera laboriosa poenitentia, quorum morientes non sunt capaces, sed contritionem cordis, & exteriora ejus signa.

Reponit Tournely. Sicuti Papa Ep. 1. c. 3. de Christianis idololatria pollutis, & subinde poenitentibus: Si respicientes aliquando fuerint ad lamenta conversi, his, quandiu vivunt, agenda poenitentia est, & in ultimo fine suo reconciliacionis gratia tribuenda; quia, docente domino, volumus mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat. Quibus ultimis verbis significat, hanc reconciliacionem non esse ceremoniam tantum, sed etiam sacramentalem: ergo. R. N. Subsumptum. Sicuti enim profert Scripturæ verba, ut probet Ecclesiam in sua praxi, non denegandi reconciliacionem poenitentibus in fine vite, imitari misericordiam Dei, qui non vult mortem peccatoris.

Instat ex Cypriano, qui sæpè conqueritur, quod iis, qui libellos martyrum habebant, pax concederetur ante sufficienter peractam poenitentiam solennem; atqui Cyprianus hanc pacem intelligebat absolutionem sacramentalem, & reconciliacionem cum Deo: ergo. Prob. Min. Hanc pacem intelligebat, quam martyres suis libellis postulabant, quam lapsi ardentè optabant, & cum qua se ad Dominum viros confidebant; atqui illa pax est absolutio a peccatis: ergo. R. N. Min. Ad Probat. N. Min. Pax enim, quam Martyres libellis deprecabantur, erat relaxatio poenæ, cui poenitentes erant addicti, & vera indulgentia, ad cuius normam nunc conferuntur Indulgentiæ po-

nitentibus sacramentaliter absolutis, in remissionem poenæ temporalis luendæ post dimissam culpam.

Urget ex Ambrosio, qui l. de poenit. c. 3. dicit: Quotiescumque peccata donantur, corporis ejus Sacramentum sumimus, ut per sanguinem ejus fiat peccatorum remissio: ergo absolutio a peccatis non conferebatur nisi cum concederetur Eucharistia. Subsumo; atqui hæc non conferebatur, nisi peracta poenitentia: ergo. R. N. Conseq. ad sensum instantis. Non enim loquitur S. Ambrosius de poenitentibus publicè, & solemniter; sed de peccatoribus generaliter, quos hortatur ad poenitentiam sub spe vite, exemplo filii prodigi; dicitque, verè poenitentibus concedi a Deo, & remissionem peccatorum, & participationem corporis Christi, sicut fit singulariter, & fiebat olim extra poenitentiam solennem. Undè subjungit: Ergo evidentiissima Domini prædicatione mandatum est, etiam gravissimis criminis reus, si ex toto corde, & manifesta confessione peccati poenitentiam gerant, Sacramenti ecclesie refundendam gratiam. Quibus verbis manifestum est, ipsum non agere de poenitentia solenni, si quidem non nisi contritionem cordis, & confessionem oris requirit ad sacram Communionem.

Plura alia Patrum testimonia objicit Tournely, sed quæ facile explicantur de reconciliacione cum Ecclesia quantum ad participationem Sacramentorum.

Ex his colliges, olim, sicut nunc, collatam fuisse absolutionem sacramentalem, statim, ac poenitentes sufficienter dispositi satisfactionem injunctam acceptassent; discrimen verò hæc in re inter nostra, & priora tempora in hoc situm esse, quod delicta severius tunc punirentur, quam nunc.

TRACTATUS DE CENSURIS, IRREGULARITATE, ET INDULGENTIIS, PERTINENS AD TRACTATUM DE POENITENTIA.

Div. Thom. Suppl. Quæst. 21. ad 27.

DISSERTATIO I.

DE CENSURIS IN COMMUNI.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Censura?

Censura olim apud Romanos significabat sententiam Censoris, deputati ad corrigendos mores. Translata est a Scripatoribus Ecclesiasticis ad significandum, non ipsam sententiam, sed poenam ab Ecclesia peccatoribus inflictam. Undè

Dico 1. Censura est poena Ecclesiastica medicinalis, & temporalis, privata Baptizatum delinquentem, & contumacem usu communium bonorum spiritualium: Explicatur: Dicitur 1. Poena; quia non infligitur nisi propter peccatum, illudque externum, cum Ecclesia non iudicat de internis; & mortale, quia, cum sit gravissima poena, non infligitur nisi propter grave peccatum. Et hinc excluditur Censura a divinis, quæ, prout distinguitur ab Interdicto, non est proprie poena, ut dicam modo. Dicitur 2. Poena Ecclesiastica; quia ferri non potest nisi per Superiores Ecclesiasticos, cum primò versetur circa privationem rei spiritualis; circa verò res temporales non nisi secundario, & quatenus referuntur ad spiritualia. Dicitur 3. Medicinalis; quia per eam non tam intenditur punio peccati, quam peccatoris emendatio: undè, eo emendato, ordinariè tolli debet Censura. Et idè additum est, temporalis. Ità expressè in Jure cap. 1. de sentent. Excomm. in 6. & cap. Ex litteris de Constitut. Ex quo sequitur, quod, ubi non est spes emendæ, regulariter non debeat infligi Censura. Dixi regulariter; quia per accidens, si esset necessaria bono communi ad terrendos, & coercendos alios, etiam sine spe emendæ illius, qui peccavit, infligi potest, quia licet sit præcipue medicina; est tamen etiam poena. Dicitur 4. Privata Baptizatum; quia Ecclesia non habet potestatem nisi in subditos: fit autem homo subditus Ecclesie per Baptizatum. Dicitur 5. Et contumacem, sive perseverando in peccato, sive non obediendo mandatis Superiorum. Ità in Jure cap. Ex parte 1. de verb. signific. & c. 1. de sentent. Theol. Billuart Pars Tertia.

Excomm. in 6. Colligitur ex c. 18. Matth. Si Ecclesiam non audiverit, id est, si non obediens ei fuerit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus. Atque sequitur ex hoc, quod Censura sit medicinalis. Vide infra art. 4. Dicitur 6. Privatus... usu communium bonorum spiritualium; qualia sunt publica Ecclesie suffragia, spiritualis Jurisdictio, Sacrificium, & Sacramenta, Officia, & Beneficia Ecclesiastica, quorum omnium dispensatio est Ecclesie commissa, ita ut eorum usum activam, & passivam possit alicui propter culpam, & contumaciam interdiceret. Quantum autem ad bona spiritualia privata, ut sunt dona gratie, virtutes, & bona opera, iis Ecclesia neminem spoliare potest, nec eorum usum privare.

Dico 2. Est tantum triplex Censura Ecclesiastica, scilicet, Excommunicatio, Suspendio, & Interdictum. Est communior. Prob. 1. Quoties in Jure fit mentio de Censuris infligendis, aut tollendis, tantum istæ tres nominantur c. 1. cap. Statutum, & cap. Is cui de Sentent. Excomm. in 6. Undè Innocentius III. cap. Querenti de verborum significat. dicit: Querenti, quid per Censuram Ecclesiasticam debeat intelligi, cum hujusmodi clausulam in nostris litteris apponimus? Respondeo, quod per eam non solum Interdicti, sed Suspendionis, & Excommunicacionis sententia valesat intelligi.

Prob. 2. Neque cessatio a divinis, neque depositio, neque degradatio, neque irregularitas etiam ex delicto sunt Censuræ: ergo sunt tantum tres assignatæ. Patet Conseq. a sufficienti enumeratione in Antecedente; non enim alitè assignantur ab Adversariis. Prob. Ant. per singulas partes. 1. Cessatio a divinis, quæ etiam dicitur suspendio Organorum, est prohibitio Ecclesiastica facta Clericis celebrandi divina Officia, & ministrandi Sacramenta in aliquo loco, nisi necessitas urgeat. Et quavis videatur coincidere cum Interdicto, differt tamen 1. quia non est proprie poena, sed simplex prohibitio diviorum ad significandum gravissimum moerorem Ecclesie ob gravissimam injuriam illi illatam, puta, profanationem Eucharisticæ.

Interdictum autem est poena. 2. Interdictum semper afficit aliquam personam, quæ Interdictio causam dedit, non cessatio a divinis. Unde tempore cessationis in uno loco omnes etiam nocentes possunt adesse divinis officiis in alio loco; non sic in Interdicto. 3. Qui violat Interdictum, ac irritat irregularitatem, non qui violat cessationem a divinis, licet graviter peccet: ergo cessatio a divinis non est Censura. 2. Depositi est prohibitio facta in perpetuum Clerico, per se, & directè exercendi suos Ordines, & indirectè ascendendi ad aliores. Degradatio addit depositioni privationem perpetuam Clericatu, & ejus Privilegiis, ita ut degradatus redocatur ad statum laicalem, quod fit cum magna solemnitate; qua peracta, Clericus traditur brachio seculari secundum rigorem legum puniendus. Irregularitas ex delicto, de qua est major difficultas, est similiter canonicum impedimentum, seu perpetua inhabilitas primò, & directè suscipiendi sacros Ordines, secundariò, & consequenter in susceptis ministrandi; sique neque depositio, neque degradatio, neque irregularitas ex delicto sunt medicinales, seu ad emendationem, sicut Censuræ, sed merè poenæ in vindictam. Item non solo usu spiritualium privant ad Censuræ, sed, in quantum fieri potest, privant habilitate ad illa. Deniquè Censura tollitur per absolutionem; depositio autem, degradatio, & irregularitas etiam ex delicto non tolluntur nisi per dispensationem in lege, quæ ex natura sua petit esse perpetua.

Dico 3. Quælibet species Censuræ dividitur in Censuram a Jure, quæ a lege lata est contra omnes subditos, qui tale crimen commiserint; & Censuram ab homine, quæ fertur per sententiam sive generalem, sive particularem Superioris, seu Judicis; per generalem, ut si dicat superior: si quis tale crimen commiserit, sit excommunicatus: per particularem, ut si dicat: si Petrus non restituit intra mensem, sit excommunicatus. Et autem discrimen inter Censuram a Jure, & Censuram ab homine, quod Censura a Jure semper duret, nisi lex revocetur: Censura autem ab homine viam suam mittit per mortem, aut depositionem ferentis; sicut nemo deinceps illam incurrat: qui tamen antea incurrit, remanet ligatus donec absolvatur. Unde, si Judex excommunicationem ferat in Petrum, nisi intra mensem restituat, & ante mensem elapsum moriatur, aut deponatur, Petrus, etsi non restituat, non incurrit excommunicationem. Si autem mense elapso moriatur, vel deponatur, Censura, quam contraxit Petrus, durat, donec per absolutionem tollatur; quia Jure communi nemo liberatur a Censura, quam semel contraxit, nisi per absolutionem.

Dico 4. Item quælibet Censura dividitur in Censuram late Sententiæ, quam scilicet Lex, vel Judex per sententiam actu infligit, adeoque ipso facto, seu criminis admissione, absque alia sententiâ incurrit; & Censuram ferendæ Sententiæ, quam Lex, aut Judex minatur tantum se inflicturum, aut jubet infligi, si que non ipso facto, seu delicto, sed per aliam Judicis sententiam debet infligi.

Sed difficultas est dignoscere, quando sententiâ, seu lex continet censuram late, vel ferendæ sententiæ. In primis constat, esse Censuram late sententiæ, quando Lex, aut Judex dicit: Qui hoc fecerit, sit ipso facto, ipso jure excommunicatus, suspensus, &c. Item, si dicat: Excommunicamus eum, qui hoc fecerit. Item, quando Jus significat se velle, reum incurtere Censuram, & non dirigat verba ad aliquem Judicem, qui illam infligat; seu quando non jubet fieri, sed significat fieri, aut futurum esse, posita conditione, videtur censura late sententiæ, ut cum dicitur: Qui hoc fecerit, sit excommunicatus, sit anathema, se excommunicatum noverit, seu agnoscat, excommunicatus maneat, excommunicationem incurrat, &c.

Neque obstat, quod dist. 30. in 26. Canonibus legitur: Qui hoc fecerit, anathema sit; qui tamen Canones non videntur intelligendi de excommunicatione late sententiæ, ut v. gr. quod mulier sibi comam amputaverit, quod vir vivens in continentia pallio utatur, &c. Non obstat, inquam, quia in antiquis Canonibus anathema non semper sumitur pro excommunicatione, sed sæpè pro detestatione, & execratione. 2. Quia probabilis est, in citatis Canonibus esse veram Censuram late sententiæ. Non enim ibi dicitur anathema iis, qui simpliciter certa quædam faciunt, sed qui ex superstitione hæretica Manichæorum faciunt, ut indicat rubrica initio distinctionis, & patet ex ipsis Canonibus, si legantur, atque ex Concilio Gangrensi, ex quo excerpti sunt. At verò, cum dicitur: Qui hoc fecerit, volumus, jubemus eum excommunicari, suspendi, &c. vel, ut excommunicetur, suspendatur, &c. Item, cum dicitur: Prohibemus, hoc fieri sub interminatione anathematis, sub pena excommunicationis, suspensionis &c. est Censura ferendæ, & non late sententiæ.

Quidam existimant, his formulis: Qui hoc fecerit, sciat se excommunicationem, suspensionem, &c. incursum, vel, erit excommunicatus, suspensus, &c. vel, excommunicationem, sus-

ensionem incurret, importari Censuram late sententiæ; quia, inquit, talia verba non significant, talem debere per Judicem excommunicari, sed significant Jus habere vim sententiæ. Quare verba futuri temporis erit, incurret, &c. non significant, Censuram post factum commissum esse ferendam ab alio, sed ab ipso Jure infligendam esse, hoc ipso quo tale factum committitur: ita Comink, nec improbabilitè, licet alii de hoc dubitent. Cæterum advertunt communitè Auctores, quod in æquili dubio, quando termini sunt absolute ambigui, debeat potius judicari Censura ferendæ sententiæ, quam late; quia juxta Reg. Juris 49. in 6. In penis benignior faciendæ est interpretatio.

ARTICULUS II.

An sit in Ecclesia potestas ferendi Censuras; & qui possunt eas ferre?

Dico 1. Est in Ecclesia potestas ferendi Censuras. Est definita in Concilio Constant. Sess. 8. errore 30. Wiclefii, & Sess. 15. errore 19. Prob. 1. ex cap. 16. & 18. Matth. ubi Christus confert Apostolis potestatem ligandi atque solvendi, ita ut quidquid ligaverint, aut solverint in terris, sit ligatum, aut solutum in cælis: quod esse intelligendum de potestate ligandi etiam per Censuras, non solum docent SS. Patres, sed aperte colligitur ex hoc, quod Christus addit Matth. 18. habendum esse ut Ethnicum, & Publicanum eum, qui Ecclesiam non audierit, ita ut sit exclusus a communiione fidelium, sicut Ethnicus, & Publicani erant tunc exclusi a communiione Judæorum. 2. Ex Apost. qui usus est hac potestate 1. Cor. 5. tradens incestuosum Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit. Et 1. Tim. 1. dicit, se Hymenæum, & Alexandrum tradidisse Satanæ, ut discant nos blasphemare. 3. Ex praxi totius Ecclesiæ, in qua a temporibus Apostolorum semper viguit usus ferendi Censuras, ut constat ex antiquissimis Canonibus, qui dicuntur Apostolorum, & ex Canonibus Conciliorum, atque Summ. Pontificum scriptis. Vide in Jure causa 24. quæst. 3. 4. Ratione. In omni Republica bene ordinata debet esse potestas privandi subditos bonis communibus, quando id ipsi merentur, & bonum commune exigit; id per se patet; atqui Ecclesia a Christo instituta est Republica bene ordinata, & Censura nihil aliud est, quam privatio bonorum communium spiritualium, ut patet ex art. præced. ergo.

Dices. Maledicere Christiano peccatori, ipsum tradere Satanæ hosti infensissimo, & ipsum privari mediis respicendi, spirit crudelitatem, & vergit in destructionem, non in emendationem; atqui ista fiunt per censuras, præsertim per excommunicationem: ergo potestas Ecclesiæ, quæ est ad emendationem, & non ad destructionem, non est ad ferendas Censuras. R. D. Maj. Ista sapient crudelitatem, &c. si in iis sistatur, C. si ordinentur ad salutem peccatoris, & bonum commune, N. Ad cuius sensum distinctæ Min. N. Conseq. (Suppl. q. 21. art. 2. ad 1.) Itaque 1. Ecclesia maledicendo peccatori per Censuras, non sistit in malo, quod irrogat: sed illud ordinat ad bonum illius, sicut medicus aliquod noxium infert infirmo, ut sectionem, per quam ab infirmitate liberatur (Ib. ad 3.) 2. Non est inconveniens, quod, qui non est desperatus, hosti tradatur, non damnandus, sed corrigendus; præsertim cum sit in potestate Ecclesiæ ex hostis manu ipsum, cum voluerit, eripere. 3. Non privatur excommunicatus omnibus mediis respicendi, sed aliquibus tantum, & hoc quandoquod expedit ejus bono, ut pudore suffusus humiliter, & agnoscens suam miseriam ab ea respiciat. (Ib. o.) Sic Deus aliquando hominem relinquit, ut substractis auxiliis, quibus a malo præpediebatur, suam infirmitatem cognoscat, & humilis ad Deum redeat, a quo superbus recesserat. Sic in humanis infirmus, qui non vult obedire Medico, ab eo deseritur, ut deserens præmente necessitate ipsum requirat, & obediatur.

Si quidam SS. Patres videntur improbare Censuras, loquantur de iis, qui non intuitu boni, sed ex odio aliquos separant ab Ecclesia sine spe redeundi.

Dico 2. Omnis, & solus Prælatus habens jurisdictionem spirituales in foro externo potest jure ordinario ferre Censuras in subditos contumaces. Dicitur 1. (Ib. q. 22. art. 1. o.) Solus habens jurisdictionem spirituales in foro externo; quia, quæ obligant hominem comparative ad alios homines, & important poenas publicas coercitivas; pertinent ad forum publicum exterioris iudicii. Dicitur 2. Omnis habens, &c. quia, cum potestas Ecclesiastica fori externi sit ad servandam disciplinam per leges, præcepta, & sententias, infirma foret, & inermis, si non posset poenis, & censuris rebelles coercere, & ad obediendum compellere. Cæteræ particulæ patent ex Art. præced. Hi sunt itaque, qui jure ordinario possunt ferre Censuras: Summi Pontifex, & Concilia generalia in tota Ecclesia; Episcopi respectu eorum, qui in sua Diocesi commorantur; Archie-

pit-

episcopus in Diocesisibus suorum Suffraganeorum: solum tamen quando eas visitat, aut causa per appellationem est ad eum devota; Vicarii Episcoporum, qui habent unum Tribunal cum Episcopo; Capitulum Sede vacante, ejusque Vicarius, quia succedit in locum Episcopi; quidam Archidiaconi, & Archipresbyteri ex consuetudine; Cardinales in Ecclesia sui Tituli; ac tandem ex privilegio Prælati Religionum, habentes jurisdictionem quasi Episcopalem.

Secundum S. Thom. citatum, & cap. 6m ab Ecclesiarum de officio Judic. ordin. id in certis casibus olim erat a Jure concessum Parochis, sed hoc in dissuetudinem abiit. Neque etiam id possunt Abbatisse, quia non habent jurisdictionem spiritualem, sed œconomicam tantum, sicut Pater in familia.

Neque obstat, quod cap. Delicta de majorit. & obediens. Papa jubet observari suspensionem, qua Abbatissa quosdam Clericos sibi subditos ab officio suspenderit; suspensio enim ibi non sumitur strictè pro Censura, cujus violatio inducit irregularitatem, sed pro præcepto, quo illa Clericis sibi subditis, & inobediens exercitum sui officii interdixerat; quod patet evidenter ex ipso eodem capite, ubi Pontifex jubet cuidam Abbati, ut per Censuras compellat hos inobedientes parere Abbatissæ; quod clarè ostendit, ipsam Censuram ferre non potuisse.

Dico 3. Qui habent potestatem ordinariam ferendi Censuram, possunt illam aliis delegare: Cap. Cum Episcopus de officio ordinarii in 6. Potest autem hæc potestas delegari cuivis Clerico Clericalibus privilegiis gaudenti; quia hæc est capax jurisdictionis spiritualis, ad quam non requiritur potestas Ordinis. Non potest committi Laicis cap. In nona 16. q. 7. Cap. Decernimus de Judic. Cap. Judicatum dist. 89. nisi a Papa ex plenitudine potestatis, quia hoc est Juris humani, in quo potest dispensare.

An autem ab eodem Summ. Pontifice possit committi femina? Disputant Theologi. Quidam affirmant; quia, inquit, id non repugnat Juri divino. Alii negant, & ut videtur, verisimiliter; quia Jure divino femina est incapax omnium jurisdictionis exercendæ per claves; potestas enim clavium Jure divino data est Apostolis tantum, & eorum successoribus; femina autem nullo modo succedat Apostolis. Et ita sentire videtur Innocent. III. c. Nova de poenis, & remiss. dicens quod, licet Beatissima Virgo dignior, & excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed istis Dominus claves regni celorum commisit. Cæterum omnes fateantur, Ecclesiam nunquam alicui foeminae hæc potestatem commisisse, neque id expediens, & decens fore.

Petes, utrum Censura debeat ferri in scriptis, causa Censuræ expressa? R. affirmativè. Ità decernitur c. Cum medicinalis de sententiâ Excommunicat. in 6. Et qui aliter fecerit, per mensem unum ab ingressu Ecclesiæ, & divinis officiis suspenditur; non tamen declaratur Censura nulla, sed faciliè a superiore relaxanda. Citatur in contrarium. c. Status, &c. Legum causa 2. q. 1. quibus declaratur, quod Censura sine scripto lata Nec nomen sententiæ habere mereatur: sed Jus, quod civitanus, istis est posterius.

ARTICULUS III.

In quos possit ferri Censura.

Dico. Solus homo viator baptizatus, ratione utens, qui habet superiorem in Ecclesia, potest ligari Censuris. Jam patet ex definitione Censuræ art. 1. Magis adhuc explicatur. Dicitur 1. Solus homo viator, ratione utens, quia is solus est capax delicti contumaciæ, & emendationis, quæ sunt solæ causæ, ob quas potest ferri Censura, ut jam diximus, & dicemus art. seq. Insuper tam demones, quam defuncti sunt extra forum Ecclesiæ militantis. Unde, quando legitimus aliquos post mortem fuisse excommunicatos, id intelligitur, vel de declaratione excommunicationis, quam viventes incurrerint, & in qua sunt defuncti; vel de excommunicatione impropria, & indirecta, quæ nihil est aliud, quam prohibitio facta viventibus dare mortuis sepulturam Ecclesiasticam, & pro ipsis offerre Sacrificia, & Suffragia publica; idque ad terrorem viventium, & in detestationem alicujus gravis sceleris: quo etiam sensu possunt absolvi mortui, permittendo viventibus, ut ipsis concedant sepulturam Ecclesiasticam, & pro illis offerant Sacrificia, & Suffragia publica. Vel intelligitur de execratione, & detestatione: quo sensu etiam hi, qui non habent potestatem ferendi Censuras, dicere possunt, anathematizamus hæreticos, id est, illos detestamur, & execramur tamquam alienos ab Ecclesia.

Dicitur 2. Baptizatus; quia, ut jam dictum est, Ecclesia non potest ferre Censuram, nisi in subditos; homo autem fit Ecclesiæ subditus per Baptismum. Dicitur 3. Habens Superiorem in Ecclesia; quia par in parem, aut superiorem non habet

Theol. Billuati Pars Tertia.

auctoritatem; & idè Summus Pontifex non potest incurtere Censuram.

Petes, utrum Peregrinus subiciatur Censuris Diocæses, per quam transit, & subditus existens in aliena Diocesi Censuris suæ Diocæses? Utraque questio controversatur. Juxta probabiliorè mihi sententiam R. ad 1. Quæstionem, hujus resolutionem pendere ab altera questione, utrum Peregrini subiciantur legibus territorii, per quod transeunt; quæ resolvimus affirmativè in tract. de Legibus Dissert. 4. art. 8. illuc recurre. Ad 2. Subditus non incurrit Censuram in propria Diocesi lata per legem, seu statutum generale, si contra illud agat in alia Diocesi, seu in sua Diocesi, sed in loco exempto. Ità expressè in Jure c. Ut animarum de Constitutionibus in 6. ubi legitur. Statuto Episcopi, quo in omnes, qui factum commiserint, excommunicationis sententiâ promulgatur, subditi ejus, factum extra ipsius Diocæsim committentes, minime ligari noscuntur: Cum extra territorium Jus dicenti non pareatur impune. Dixi 1. Per legem, seu statutum generale; quia dubium est de Censura, per præceptum, seu sententiam particularem lata, ut si Episcopus prohibeat Joanni Clerico peregrinatore sub pena suspensionis, ne ludat alea, quidam volunt, eum non incurtere Censuram, si ludat in alia Diocesi, vel sua quidem, sed in loco exempto; quia ratio Canonis est generalis, scilicet, Dicenti Jus extra territorium impune non pareatur. Alii volunt, eum incurtere Censuram ratione discriminis, quod dicunt intercedere inter legem, seu statutum generale, & præceptum, seu sententiam particularem. Lex enim, seu statutum generale tendit ad territorium, illuc coheret, atque idcirco neminem ligat extra territorium. Præceptum verò, seu sententiâ particularis immediatè tendit ad personas subjectas, earumque ossibus coheret, quocumquè terrarum discesserint. Ità Layman. Addunt, veram causam, cur Episcopus in aliena Diocesi sententiam ferre nequeat, eam solum esse, ne alienum territorium invadere, & violare videatur; quæ ratio cessat, dum fert Censuram sine strepitu incurrendam. Verùm reponi potest, id paritè contingere in Censura per statutum lata. Cæterum, quod probabilis reputabit Lector eligat. Observandum est autem, hanc difficultatem non currere de prælati Religiosorum, quorum jurisdictio non circumscribitur certis locorum limitibus, sicut jurisdictio Episcoporum, sed est immediatè in personas. Quapropter ubicumquè sint, eodem modo eis sunt subjectæ, & eodem modo ab eis coerceri, & puniri possunt.

Dixi 2. in 2. Responsione: Vel in loco exempto; quod plures intelligunt de aliqua Parochia, vel Oppido a jurisdictione Episcopi omninò exempto, non de Monasteriis Mendicantium; quia, cum horum Superiores non possunt illos externos apud se delinquentes corrigere, si neque id posset Episcopus, tales manerent impuniti, & nulli foro subjecti.

ARTICULUS IV.

Ob quam causam possit ferri Censura?

Dico. Censura non fertur, nisi ob peccatum externum mortale in sua specie consummatum, & involvens inobedienciam, seu contumaciam contra Ecclesiam. Quamvis, ut præcedens, jam pateat per majori parte ex definitione Censuræ, art. 1. magis adhuc explicatur.

Dicitur 1. Ob peccatum mortale externum; quia, ut dictum est in definitione Censuræ, Ecclesia non judicat de internis, nec infligit gravissimam poenam, qualis est Censura nisi pro gravi peccato; poena enim debet proportionari culpæ. Excipe, nisi sit suspensio, aut interdictum in re levi. Dicitur 2. In sua specie consummatum; quia, licet Ecclesia possit ferre Censuram contra peccatum non consummatum, v. gr. contra mandantem homicidium, effectu etiam non secuto, si tamen illud non exprimat, intelligitur de opere consummato ex Regula generali, quod odiosa sint restringenda. Unde, qui conatur percussere Clericum, & non percussit, non incurrit Excommunicationem. Si esset Censura lata in homicidam, qui vulneraret aliquem lethalitè, non incurreret Censuram, si vulneratus non moriatur ex vulnere. Dicitur 3. Et involvens inobedienciam, & contumaciam contra Ecclesiam. Patet, ut jam diximus 1. ex verbis Christi Matth. 18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus 2. Exc. Ex parte 1. de verbor. signifi. ubi referuntur tantum duæ causæ, propter quas potest ferri excommunicatio, seu interdictum in aliquem (idem dicendum de suspensione); vel quia citatus, & monitus non vult a peccato abstinere; vel quia pro peccato commisso jussum satisfacere renuit. 3. Cap. Qua fronte de appellat. dicitur, quod ligatus excommunicatione, aut interdicto, statim, ac est paratus obedire judici, & dat cautionem, sit absolvendus. Idem c. Ex literis de Constit. Ergo, si non est contumax, sed paratus obedire, non est Censura ligandus. Cap. 1. de Sentent. Excomm. in 6.

Sss a

di-

dicitur, quod Censura non sit pura poena, seu vindicta, sed poena medicinalis, disciplinans, non eradicans; quare caute providetur Ecclesiasticis Judex, ut in ea ferenda ostendat se prosequi, quod corrigentis, atque medentis est; atqui inhumani, & irrationabile foret dare alicui medicinam asperam, qualis est Censura, quando aliter sanari, & emendari potest, qualis praesumitur quivis, donec mandatis, & monitionibus Ecclesiae renuat obedire.

Hinc inferes 1. Censuram non posse ferri pro peccato omnino praeterito, id est, quod penitus cessavit, nec habet praesentem inobedientiam conjunctam. Inferes 2. Censuram non posse ferri sine praevia monitione; cum hoc tamen discrimine, quod ad Censuram per legem, aut praecipitum sive generale, sive speciale superioris, factum sub comminatione Censurae de peccato futuro, v. gr. *Quicumque hoc fecerit, vel si hoc fecerit, ipso facto sit excommunicatus, suspensus, &c.* non requiratur alia monitio, quam ipsius legis, aut praecipiti, quod vi sua continuo admonet; modo tamen prohibeatur aliquid fieri; quia, si praecipitur aliquid fieri, videtur opus esse monitione, ut appareat, delinquentem fuisse pertinaciter in mora, & nullo legitimo impedimento excusari.

Sed ad Censuram ab homine infligendam pro peccato praeterito, aut praesente, in quo reus pertinaciter perseverat, & pro quo satisfacere recusat, requiritur expressa monitio cap. *Reprehensibilis* de Appellat. cap. *Romana*, & cap. *Constitutionem* de Sent. excomm. in 6. Ratio est; quia, ut diximus, non fertur Censura nisi in contumaces: contumaces autem non sunt, nisi qui praecedente monitione sub Censura obedire recusant. Et haec ratio probat, Censuram sine praevia monitione non solum esse injustam, sed etiam invalidam; atque ita declaratur in Jure cap. *Constitutionem* cit. & cap. *Statutum* ibid. ubi dicitur, hujusmodi Censuram non tenere.

Triplex debet esse monitio c. *Omnes decimae* causa 16. q. 7. & cap. *Illicita* causa 24. q. 3. Item cap. *Romana*, & cap. *Constitutionem* cit. Attamen juxta l. *Contumacia* ff. de re judicata, potest fieri unica monitio pro trina, praevio eo temporis spatio, quod pro trina sufficiat, dicendo v. gr. moneo te semel pro tribus vicibus, ut intra 3. dies hoc facias, concedendo tibi singulos dies pro singulis monitionibus, vel totum illud tempus pro tribus monitionibus. Imò, si periculum imminet, nec res patitur inorari, secundum communem sensum Theologorum Judex potest statim rem aggredi, excommunicationem comminari, & contra inobedientem ferre. Item haec Canonica monitio debet fieri a Judice, aut ejus nomine, & immediatè ipsi reo, si fieri potest; sin minus in ejus domo, vel in loco publico, unde possit ad ejus notitiam pervenire. Item debet fieri coram testibus idoneis, per quos possit probari, cap. *Sacro* de Sentent. Excomm.

Petes 1. Utrum, si Censura non sit lata, sed ferenda sententia, Judex possit statim procedere contra reum convictum, & in ipsum ferre Censuram absque monitione? R. probabilius negativè cum Covarruvias, Cajetano, Laymam, & pluribus aliis contra alios. Ratio est 1. Quia c. *Reprehensibilis* cit. de Appellat. dicitur: *Nec Praelati, nisi canonica comminatione praemissa, suspensionis, vel excommunicationis sententiam proferrant in subjectos, nisi forte talis sit culpa, quae ipso suo genere, (id est, ipso facto, ut ait Glossa ibid.) suspensionis, vel excommunicationis poenam inducat.* Exceptio autem firmat Regulam in aliis. Ergo ad omnem Censuram, quae non ipso facto incurrit, sed est a Judice infligenda, requiritur Canonica monitio. 2. Ob crimen praeteritum, & emendatum Censura fieri non potest, ut patet ex praecedentibus; atqui, si Judex possit Censuram sententia ferendae exequi contra reum nulla monitione praemissa, saepe ferretur Censura propter crimen praeteritum, & emendatum: ergo. Confirm. Si is, qui est Censurae ligatus se paratum exhibeat peccato desistere, & satisfacere Ecclesiae; debet absolvi a Censura, ut dictum est. Ergo non debet Censura ligari, si pariter sit paratus a peccato desistere, & satisfacere Ecclesiae; id autem sciri non potest, nisi moneatur.

Petes 2. Utrum ignorantia excuset a Censura? R. Ignorantia etiam vincibilis, modo non sit crassa, & supina, sive Juris, sive facti, sive Censurae factae annexae, excusat a Censura. Pro quo vide Tract. de peccatis Dissert. 5. art. 7.

Petes 3. Utrum, qui ex gravi metu facit actionem prohibitam sub Censura, eam incurrat? R. negativè, regulariter loquendo; quia ad Censuram requiritur contumacia, quae sit interpretativè contemptus potestatis Ecclesiasticae; qui autem ex metu gravi violat legem Ecclesiasticam, non censetur hanc potestatem contemnere: ergo. 2. Quia leges Ecclesiasticae regulariter non obligant cum tanta severitate. Dixi: *Regulariter loquendo*; quia si ratione prohibitionis Ecclesiasticae actio prohibita reddatur intrinsecè mala, metus gravis non excusat a Censura, v. gr. si Sacerdos excommunicatus, & publicè denunciatus ex metu gravi exciperet Confessiones, & absolveret; aut

si quis metu gravi adigeretur ad communicandum cum excommunicatis in contemptum Religionis; in his, inquam, & similibus casibus, transgrediens legem Ecclesiasticam incurreret Censuram: quia in primo casu ratione prohibitionis Ecclesiasticae Confessiones sunt invalidae, & fit gravis injuria Sacramento: in secundo eadem ratione gravis injuria Irrogatur Religioni. Et hoc sensu intelligendum est c. *Sacris* de his, quae vi, metusve causa fiunt; ubi dicitur, quod, qui per vim, & coactionem communicat cum excommunicato, non incurrat excommunicationem, qui autem communicat ex metu, incurrat: quia, qui per vim, & coactionem communicat, nunquam incurrit; qui autem ex solo metu, quandoque incurrit, scilicet in casibus positis, & similibus, licet non regulariter. Vel loquitur Canon de metu abstrahendo a gravi, & levi: qui autem agit ex metu levi, incurrit Censuram.

ARTICULUS V.

Utrum Censura injustè lata habeat aliquem effectum?

Censura (Suppl. q. 21. art. 4. o.) potest esse injusta dupliciter. 1. Ex parte ferentis, ut si illam ferat ex odio, vel ira, servitas aliunde servandis; & sic dicitur injusta eo modo, quo omne peccatum dicitur injustitia. 2. Ex parte ipsius Censurae, si vel causa sit indebita, vel praetermissis fuerit ordo Juris. Est autem duplex ordo Juris, unus accidentalis, ut si Censura non sit lata in scripto, si non praecesserit trina monitio, &c. Alter substantialis, ut si ferens careat jurisdictione, si causa non sit legitime probata, si censura feratur post legitimam appellationem, vel nulla praemissa monitione, &c.

Suppono 1. Censuram, ex parte ferentis tantum injustam, aut latam praetermissio ordine Juris accidentalium, esse validam & consequi omnes suos effectus; quia nihil deest essenziale. Suppono 2. Censuram injustam ratione causae indebitae, aut defectu ordinis substantialis, si injustitia sit notoria, sic esse invalidam, ut nullum habeat effectum, neque per se cum sit nulla, neque per accidens ratione scandali vitandi; quia, cum injustitia sit notoria, nulli potest esse scandalum, si non servetur. Difficultas ergo restat de Censura occultè injusta ratione causae indebitae, ut si feratur in innocentem, probatum juridicè nocentem; injustitia enim ex aliis defectibus potest facillè innotescere.

Dico. (Ibid. & ad 1.) Censura lata in innocentem, probatum juridicè nocentem, reipsa & in foro conscientiae est invalida, nec ullum habet ex se effectum; per accidens tamen ratione scandali vitandi habet aliquos. Prob. 1. pars. Ecclesia nec vult, nec potest excedere limites suae potestatis; atqui potestas ferendi Censuras data est Ecclesiae contra nocentes inobedientes, non contra innocentes: ergo. Prob. 2. Pars: Censura, de qua agitur, ex parte Juris est justa, atque ad publicam utilitatem, & disciplinam lata: ergo juridicè reus teneri illi parere, in quantum necessarium est ad publicam utilitatem, & ut Juridicè, & Ecclesiae auctoritas non veniat in contemptum.

Hinc inferes, hujusmodi Censurae ligatum re ipsa, & coram Deo non privari suffragiis, & orationibus Ecclesiae, jurisdictione in foro interno, & externo, potestate conferendi, & accipiendi Beneficia Ecclesiastica, usu activo, & passivo Sacramentorum, neque communione fidelium; ita ut possit occultè, & coram scientibus ejus innocentiam, absolvere, celebrare Sacramentum, illud audire, communicare cum aliis tam in spiritualibus, quam in temporalibus; secus autem publicè, seu coram necessitibus ejus innocentiam, propter scandalum. Et ideo merito damnata est haec propositio q1. Quenell: *Excommunicationis injusta metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro.* Si quidem injusta Excommunicatio, cujus injustitia non est nota, impediatur excommunicatum celebrare Missam, illam audire, adesse divinis officijs, & alia, ex quibus nasceretur scandalum, juxta ea, quae diximus superius de scandalo. Adde, hanc propositionem fuisse damnatam in sensu Auctoris; intendebat autem Auctor hac propositione obfirmare contumaciam eorum, qui damnationi Jansenii subscribere renuebant, ut testantur Episcopi Galliae in sua institutione Pastoralium. Verius ergo dixit S. Gregorius: *Sententia Pastoris, sive justa, sive injusta fuerit, timenda est.*

ARTICULUS VI.

Quis possit absolvere a Censura?

Suppono, Censuram tolli dumtaxat per absolutionem legitimi Judicis, non per ejus mortem, aut depositionem; quia poena per legitimam Judicis sententiam inflicta transit in rem judicatam, & ideo eadem auctoritate publica, qua contracta est, debet dissolvi.

Dico 1. A Censura, ab homine lata per sententiam particu-

larem, is solus absolvere potest, qui eam tulit, vel Superior, vel Successor, aut delegatus. Colligitur 1. ex Canone Arabico 27. Concilii Niceni, qui sic habet: *Nullus Episcopus solvat, quem alius Episcopus ligavit, quamdiu ille, qui ligavit, vixerit.* 2. Ex hac Regula, communiter recepta: *Ejusdem est solvere, & ligare.* 3. Ex c. *Prudentia* §. *sexta* de officio & potest. Judicis delegati. Ratio est; quia Censura sic particulatim lata est sententia Judicis, quam nullus alius, nisi Superior, aut Successor, aut delegatus rescindere potest sine violatione illius jurisdictionis.

Dico 2. A Censura Juris, seu sententiae generalis, reservata is solus absolvere potest, qui sibi reservavit, vel Superior, vel successor, vel delegatus. Patet ex praeced. Conclusionè. Dico 3. A Censura Juris, si non sit reservata, potest absolvere quilibet Confessarius c. *Nuper* de Sentent. Excomm. Et ideo solent Confessarii praemittere absolutionem a Censuris absoluti a peccatis. Idem videtur dicendum de Censura lata ab homine per generale statutum, si non sit reservata; quia Censura sic generatim lata non continet propriè sententiam Judicis, cujus rescissio per alium foret violatio suae jurisdictionis; sed potius continet praecipitum sub tali Censura impositum; ideoque ex hac parte Censurae Juris aequiparatur. Ex his colliges, quod Censura ligatus per sententiam particularem a suo Episcopo propter crimen & contumaciam, si domicilium mutet, aut ingrediatur Religionem, non possit absolvi ab alio Episcopo, vel

Praelato; quia Episcopus, qui Censuram tulit propter causam in suo Tribunali ceptam, & nondum finitam, retinet jus in eum, quem Censura ligavit, juxta hanc Regulam Juris: *Præventus a Judice forum ipsius in ea causa declinare non potest;* & colligitur ex Cap. *Proposuiti* de foro compet. Secus autem propter contrariam rationem, si Censura sit Jure vel ab homine per statutum generale lata; poterit enim tunc absolvi ab alio Episcopo praesentis domicilii, vel a Praelato, imò a quolibet Confessario, si non sit reservata in loco domicilii.

Petes 1. Utrum ad validam absolutionem a Censuris requiratur determinata verborum forma? R. negativè; quia id nulli necessariò requiritur ad validitatem absolutionis: sed sufficit, si proferatur verbis, aut signis experimentibus voluntatem absolventis. Non tamen fieri actu merè interno sine verbis, aut signis: quia est actus jurisdictionis exterioris.

Petes 2. Utrum absens, vel invitus possit absolvi a Censura? R. affirmativè: (Suppl. q. 24. art. 4. o.) quia, sicut absens, aut invitus potest Censura ligari, multò magis potest ab ea absolvi sola voluntate potestatem absolventi habentis, modo tamen humano significata.

Nec obstat (Ibid. ad 2.) quod Censurae causa motiva sit contumacia, quae videtur maximè esse in invito: quia superior, etiam manente contumacia, potest discretè Censuram justè latam remittere, si videat saluti illius expedire, in cujus medicinam fuerat lata.

DISSERTATIO II.

DE CENSURIS IN PARTICULARI

NEC NON

DE IRREGULARITATE.

Div. Thom. Suppl. QQ. 21. 22. 23. 24.

ARTICULUS I.

De Excommunicatione.

§. I. Quid sit Excommunicatio, & qui ejus effectus?

Excommunicatio, quasi extra communicationem, generaliter sumpta, est Censura Ecclesiastica separans ab aliqua Communione Ecclesiae. Est duplex, minor & major. Minor est Censura Ecclesiastica, separans a participatione passiva, seu susceptione Sacramentorum; Cap. *Si celebrat* de Clerico excommunicato. Excommunicatio (Suppl. q. 21. art. 1. o.) major est Censura Ecclesiastica, separans a quolibet licita communione fidelium; consequenter a participatione tam passiva, quam activa, Sacramentorum, a Suffragiis publicis Ecclesiae, & a fidelium convicto. Et haec semper intelligitur, quando est sermo de Excommunicatione sine addito: cap. *Si quem* de sent. Excomm.

Ad intelligentiam definitionis datae (Ibid. art. 1. & 1.) observandum est, triplicem esse fidelium communionem: Unam purè internam, qua fideles per gratiam & charitatem inter se & cum Christo ununtur. Secundam purè externam, consistentem in convicto, colloquio, commerciis, ceterisque actionibus ad humanam societatem pertinentibus. Tertiam mixtam, consistentem in actionibus & caeremoniis exterioribus, sed interiorè & spiritualem fructum habentibus ex propria institutione, ut sunt usus, tum activus, cum passivis Sacramentorum, Suffragia publica, quae in Sacrificijs & publicis Officijs pro universa Ecclesia fiunt, satisfactiones Christi & Sanctorum, quae per Indulgentias applicantur, &c. Excommunicatio itaque non tollit, nec tollere potest communionem purè internam, sed supponit per peccatum mortale, propter quod fertur, sublatam; tollit autem merè externam & mixtam, ut mòx articulatim explicabo. Et ita differt a suspensione, quae est tantum privatio usus sacri ministerii & beneficii, spectatque solum Ecclesiasticos; & ab interdicto, quod privat tantum participatione reum sacramentum, ut sacra sunt.

Explicatur effectus Excommunicationis.

Primus (Ibid. o.) est privatio susceptionis Sacramentorum extra casum necessitatis, Cap. *Cum illorum* & Cap. *Si quem* de sentent. Excomm. quia in Sacramentis participandis fideles communicant. Validè tamen suscipiuntur; quia, cum validitas Sacramentorum pendeat ex institutione Christi, posita materia

& forma, atque intentione Ministri, non potest ab Ecclesia impediri. Excipe Sacramentum Poenitentiae, quod indirectè impeditur propter indispositionem subjecti. Si tamen Poenitens bona fide procedat, non se reputans excommunicatum, aut putans excommunicationem non impedire absolutionem, vel Confessarius obliviscatur absolvere ab Excommunicatione priusquam a peccatis, validè absolviunt a peccatis, remanente Censura; quia Excommunicatio poenitentis non tollit a Confessario jurisdictionem, sed tantum prohibet poenitenti, ne accedat ad Sacramentum non absolutus ab Excommunicatione; quod cum ille, ut suppono, ignoret invincibiliter, aut credat Confessarium debite suo munere fungi, excusatur a transgressione hujus prohibitionis; nihilque obstat ex hac parte, quominus sit valida confessio & absolutio a peccatis. Dixi: *Extra casum gravis necessitatis*: quia in casu gravis necessitatis, puta, ad vitandum periculum immensis mortis, mutilationis, infamiae, iacturae honorum, aut scandali, Excommunicatus non peccat suscipiendo Sacramenta, quia lex Ecclesiastica non obligat cum tanto rigore.

Secundus effectus est privatio Suffragiorum communium Ecclesiae, quae a publicis Ministris pro tota Ecclesia, seu pro fidelibus tamquam pro membris Ecclesiae fiunt: item & satisfactionum, quae ab Ecclesia conferuntur fidelibus per Indulgentias: est enim in his maxima fidelium communicatio, & colligitur ex Cap. *A nobis* 2. & Cap. *Sacris* de Sent. Excomm. Atque expressè docet S. Greg. l. 2. Dial. cap. 23. ita ut nemini liceat orare pro excommunicatis, tamquam pro membris Ecclesiae: orare autem pro ipsis, non tamquam pro membris Ecclesiae, sed ut ad Ecclesiam redeant, licet & publicè & privatim, sicut docuit in Tract. de Religionè Dissert. 2. art. 6. vide.

Tertius effectus. Excommunicatus prohibetur celebrare divina Officia, aut iis interesse, hoc est enim communicare cum fidelibus. Colligitur ex Cap. *Significavit*, Cap. *Nuper*, Cap. *Respondeo* de sentent. Excomm. & Cap. *Alma* eodem tit. in 6. Divina autem Officia dicuntur sacrae functiones, quae ab Ecclesia solemniter fiunt, ut Missae Sacrificium, publica recitatio Horarum Canoniarum, quaevis alia Oratio publica, Processio, benedictio, consecratio, &c. ita quod, si Excommunicatus non toleratus, seu vitandus, de quo infra, adit divinis Officijs, praesertim Missae, moneri debet, ut discedat; si jussus discedere renuat, incurrit novam Excommunicationem Papae reservatam, Clement. *Gravis* de Sentent. Excomm. Est et expellendus per Laicos, aut etiam per Clericos, si desint Laici. Quòd si expelli non possit, omnes fideles debent recedere; Sacerdos autem